Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistulae - Cod. Aug. perg. 52

[S.l.], [9. Jh.]

Hieronimus an Augustinus

urn:nbn:de:bsz:31-6736

Visual Library

quod teneros et bonos dociles et innocentes animae. Stola esau fides et scripturae hebreorum quibus gentilium indutus
est populus. Pelles quoque eius brachiis circumdate sunt peccata utriusque sunt plebis quae christus in ostensione manuum
cruci secum pariter adfixit; quod isaac quaerit ab iacob cur tam cito uenerit admirabatur, uelocem credentium fi
dem; quod cibi delectabiles offeruntur hostia placens deo salus est peccatorum; post esum sequitur benedictio et eius odore
perfruitur, uirtutem resurrectionis et regni aperta uoce pronuntians; quomodo etiam adorent eum fratres sui et seruiant
ei credentes ex israhel; quia igitur iniquitas inimica est iustitiae esau in discordiam concitatur et necem fraudo
lenter excogitat dicens in corde suo adpropinquent dies passionis patris mei et occidam iacob fratrem meum.
ostendens: appropinquont inquit dies passionis. Diabolus fratricidas iudeos in cain ante praemeditans in esau manifestissime confitetur tempus quoque inter fecti
onis uiuificum fratrem meum. Quapropter rebecca id est patientia nuntiauit uiro fratris insidias; qui uocato
iacob praecepit ei ut in mesopotamiam pergeret et inde acciperet uxorem de genere laban syri fratris matris suae.
Quomodo itaque fratris dolos fugiens mesopotamiam tendit iacob, ita et christus iudeorum incredulitate conpulsus
proficiscitur in galileam inde sibi ex gentibus sponsam sumpturus ecclesiam; haec supradictus uir. Nos autem di
cimus non uenisse dominum nisi ad oues perditas domus israhel, nec uoluisse panem accipere filiorum et dare eum canibus;
Et benedictionem primam iudeorum populo deuulisse quibus sunt credita eloquia dei et repromissio et legis
datio et confessio testamenti uerum quia illi credere noluerunt ad iacob minorem populum benedictionem
esse translatam neque tamen maiorem filium penitus fuisse despectum. Quia cum subintrauerit
plenitudo gentium tunc omnis israhel saluus erit.

HIERONIMUS AUGUSTINO

Venerabili papae augustino hieronimus uirum uenerabilem fratrem meum filium dignationis tuae oro
sium presbiterum et sui merito et te iubente suscepi. Sed incidit tempus difficillimum quando mihi ta
cere melius fuit quam loqui, ita ut nostra studia cessarent et iuxta appium canina exerceretur facundia.
Itaque duobus libellis tuis quos meo nomini dedicasti eruditissimis et omni eloquentiae splendore fulgentibus red
dere non potui, non quo quicquam in illis reprehendendum putem, sed quia iuxta beatum apostolum unus
quisque in suo sensu habundet, alius quidem sic, alius autem sic. Certe quicquid dici potuit et assumo ingenio
de scripturarum sanctarum fontibus adeo positum atque disertum est. Sed quaeso reuerentiam tuam parumper
patiaris me tuum laudare ingenium. Non enim inter nos eruditionis causa disserimus. Ceterum emu
li et maxime heretici si diuersas inter nos sententias uiderint de animi calumniabuntur rancore descendere.
Mihi autem statutum est te amare suspicere colere mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Certe
et in dialogo quem nuper edidi tuae beatitudinis ut dignum fuerat recordatus sum; magisque demus operam
ut perniciosissima heresis de ecclesia auferatur quae semper simulat penitentiam ut docendi in ecclesiis habeat facul
tatem. Nam si se aperta luce prodiderit foras expulsa morietur. Sanctae ac uenerabiles filiae tuae paula et eustoch
ium et genere suo et exhortatione tua digne gradiuntur specialiterque salutant beatitudinem tuam. Omnis
quoque fraternitas quae nobiscum domino saluatori seruire conantur. Sanctum presbiterum firmum anno praeterito ob
rem mearum rauennam et inde in africam siciliamque direximus, quem putamus iam in africae partibus com
morari. Sanctos tuo adherentes lateri ut meo obsequio salutes precor. Literas quoque meas ad sanctum presbite
rum firmum direxi.

EPISTOLE SANCTI AUGUSTINI SEU SANCTI HIERONIMI QUAS INTER SE DIREXERUNT

Domino dilectissimo et cultu sincerissimo caritatis obseruando atque amplectendo fratri et conpresbitero
hieronimo augustinus in domino salutem. Numquam eque quisquam facile cuilibet innotuit quam mihi